

Ignaz Hannel   Albert Schönlow

## **Exetasis Interpretationum, L. Bonae Fidei 48. D. De Acquirend. Rerum Dominio ...**

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728317966>

Druck   Freier  Zugang



RU jurist. /. März 1607

Hanniel, Ignatio



684

84

ΕΞΕΤΑΣΙΣ *Examen*,  
*Interpretationum*,

L. BONÆ

FIDEI 48. D. DE  
ACQUIREND. RERUM

Dominio:

*Vna cum parerogorum Miscellâ; Ad inve-*  
*stigationem veri publicè proposita,*

Auspice

DEO TER. OPT. MAX.

*Præside*

IGNATIO HANNIEL, I. V. D.  
& Historiarum Professore.

*Propugnante* ἔνυ Θεω

ALBERTO SCHONLOVIO,  
Westphalo,

*In auditorio magno, die 7. Martij.*

I. D. 117. 7



ROSTOCHII

Typis Reusnerianis, Anno 1607.



32  
JUVENVM NOBILISSIMIS;  
*Nobilissimorum politissimis;*

HENRICO LIEVE  
ZTOVIO, Megapolitano:

FRIDERICO BERTRAMO,  
& CAIO, fratribus Alfeldiis, Holsat.


*Juris Civilis & philologiae studiosissimis;*

AMICIS ET CONVICTORI-  
bus suis observandis,

*Honoris & amoris ergo i&et;ta&et; hanc*

L. M. Q. D. D. D.

Respondens.





## THESIS. I.



*AEc L. Bona fidei, quot & quantis opinionum fluctibus jactata, & argutiarum spinis tantum non confessa, vel ex solo pinello videre est, qui unus sex quas vocant, conciliandi rationes adducit, ut alios taceam, qui in eadem palestra sudantes nihil non tentarunt, quo nodosa istius legis callum rumperent, Sed frustra omnino, si quid doctissimis hac in re viris credimus. Mansit enim ut Curtius ait, adversus experimenta pertinax, Ita subinde velut insidiante, nescio malignitatem dicam scriptorum, an natura nostra imbecillitatem, sed tamen aliqua insidiante re, priori jam dimissa cogitatione ultra tentantem procedere, alia atq; alia ex obliquo invadunt difficultates, propè ut nulli, post veteres nova conjectationi locus relictus videatur.*

### II.

*Quia tamen prasunta illa veri inveniendi desperatio negligentiam nobis persuadere, aut amplius quarendi occasionem amputare non debet: opera precium me facturum putavi, si praeceptas doctissimorum virorum qui in hac lege explicanda laborarunt, interpretationes strictim adducerem, saltem hac fini, ut in hoc laborioso Doctorum nostrorum luctamine, singulorum concertantium emulatione & virtute perspecta, ingeniosiores psimet judicent, cui nam navata melius opera palma prae aliis deferenda. Nam Stabilem planè causâ huic tam vehementer fluanti, & multâ atiam etate nutanti terminum ponere, id ve-*

A

rò mo-

ad modum nostri examinis egreditur, & celestis vel divini oraculi proprium est, a. quod in rebus dubiis antoni nostri incertum imperialib. responsis instruit.

a. Ita imperatores nostri loquuntur.  
l. 10. C. de SS. Eccl. l.  
10. C. de adf. do. m. &c.

### III.

Antequam tamen ipsos interpretes in medium producamus, consultius erit, quadam, qua ad hanc rem intelligendam propius faciunt, quasi pramunire, ut eò melius cognoscatur, quid & quale sit, de quo tanto molimine inter illos contenditur.

### IV.

Totius luctaminis summa in eo est: Quos nam Bonæ Fidei possessor fructus ex aliena re suos faciat, & quomodo? Nam cum fructus ij, qui Naturâ proveniunt, (de his enim hîc saltem agimus) partim sua sponte, citra notabilem hominis industriam, ut ligna, poma, farum: partim non sine curâ & culturâ humana, ut fruges, (quibus fetus non absimiles, nascantur: principio, etsi de manu satia non dubitetur, eos quoque modo, & à quocunque etiam solò separatos, statim, B. F. possessoris fieri, ut & fetus cum lanâ, pilò, lacte; Res tamen controversa & plena dissensionis est. Num hi fructus, si tempore litis mota nec dum consumpti sint sed adhuc extant, Domino vindicanti restituendi veniant? Quâ sententiam licet summis cum difficultatibus conflictari non ignoremus, tamen quia veriorem putamus, albo calculo signare non dubitamus.

### V.

Sed majoris questionis est, & ut nonnullis videtur, plane inextricabilis: An B. F. possessoris fiant etiam sponte nati vel editi, v. g. pomum, pyrum, &c. Adfirmare videtur Paulus, Negare Pomponius, & quidem uterq; tam disertè, tam perspicuè, ut illorum dissensionem nullum fere mantellum usquam sit obviâ. Quia tamen Imperator Iustinianus leges in eo, quæ habemus Iuris codice, correctorum & emendatorum diligentia  
fines

finis discordiarum jam dudum effugisse asserit, nullumq; sibi plane locum contraria in eo vindicare, modo subtili animo diversitatis rationis excutiantur, quomodo aut aliquid noviter inventum, aut occultè positum, appariturum sit, quod dissonantieque-  
relam dissolvat: a. Licet hoc in negotio anceps sit lapsus, & utra  
lex, utrà clarior sit atque interpretationis ope magis jayanda,  
definiri aut rectè constitui vix possit, tamen Pomponio in pra-  
sentiarum potius adherere placuit.

### VI.

Sed quid Paulo interim fiet? Hoc nempe agimus, ut sub-  
tilem illam, quam Iustinianus hic latere ait diversitatem quan-  
tùm potest inquiramus, & qua inter auctores illos esse videtur  
seditio, in tranquillum conferamus; Idque interpretum doctis-  
simorum operâ, quos ordine in scenam admissos totius Theatri  
ingeniis conjecturâq; committemus,

### VII.

Et princeps ad has Iuris tenebras depellendas accurrit Ac-  
cursius, a magnâ & veterum, & recentiorum catervâ stipatus,  
inter quos etiam Duarenus, Donellus, Giphanius, qui Paulum de  
industrialibus, quos vocant, tantum loqui asserunt, & in his B. F.  
Possessoris fieri non tantum eos, qui suâ suorumve diligentia: sed  
omnes, id est, qui aliorum quoque industria vel labore prove-  
niunt.

### VIII.

Displicuit hæc sententia Oldrado aliisq;, quos Bartolus re-  
fert & probat, & præter hunc quoq; Covarruvias, Ferret-  
tus, Costalius, Fortatulus & doctissimus Wesenbecius: Qui  
omnes volunt, Paulum loqui de eo B. F. possessore, qui ritulum  
justum habet, Pomponium contra de eo, qui nullum vel irritum  
vel prohibitum, qualis est donatio inter conjuges. Illius igitur  
esse sponse editos; hujus verò minimè.

A a

Sed

a. l. tanta  
2 in pr. &  
§ 1. & §  
15. C. de  
vet. jur.  
enucl. l. 2.  
§ 8. prima  
C. constit.

LOPINIO  
Accursij  
ex Hugo  
livo.  
a. Ita ipse  
de scribit.  
l. 63. § 10.  
ff. ad S. C.  
Treb. cil.

II. OPI-  
NIO, in  
quibus  
Bartolus.

## IX.

III. Opini-  
o Loro-  
ziotti.

*Sed hoc non placet Lorio, qui novam idè interpretatio-  
nem commentus, Paulum ait tradere jus speciale, quod in Bonæ  
F. emptore sit receptum; cum contra Pomponius agat generaliter  
de omni B. F. possessore, sed qua definitio generalis officium  
suum in B. F. Emptore perdat.*

## X.

IV. Opini-  
o Curtij  
Brugensis

*Non longè hinc abit Jacob. Curtius, Brugensis, homo im-  
genij elegantissimi, qui quòd Ludovici quog. Vitalis & Iulius Paci-  
us approbarunt, Paulum, de eo B. F. possessore differere scripsit,  
qui oneroso titulo, v. g. emptionis possessionem adeptus est, ut  
contra Pomponium de eo, qui eam lucrativo titulo nactus sit,*

## XI.

V. Opini-  
o Cuija-  
cij

*Nihil autem horum probatur magno illi Cujacio, qui post Ange-  
lum de perusis aliosq. nonnullos contendit: Paulum hoc duntaxat  
velle, B. F. possessoris perceptione fieri quog. fructus naturales, qui  
per se nascantur, interim, id est, quamdiu res evicta non fuerit.  
Sed re evicta eos venire in restitutionem, non tantum extan-  
ses, sed etiam consumptos. Atq. hoc indicare Pomponium,*

## XII.

VI. Opini-  
o Pincl.

*Sed hos omnes Pinellus erroris damnans tandem securè pro-  
nunciat, Paulum loqui de B. F. poss. possidente titulo valido,  
vel etiã nullo & irritò, in quo tamen ut possessor justum facti er-  
rorem habeat: Pomponium verò de eo B. F. possessore, qui sit si-  
milis ei qui ex reprobo tit. rem possideat, qualis est is, qui  
rem uxori à viro vel contra donatam B. F. possidet. Id quod  
ante Pinellum quog. sensit L. Charondas, lib. 1. ad Juv. c. 7.*

## XIII.

VII. Opini-  
o.

*Nondum verò finis velitationum. Nam A. Goveanus unà  
cum D. Gothofredo longè aliter rem decidendam putat. Pom-  
ponium enim loqui de fructibus quidem naturalibus, Sed tantum  
perceptis; Paulum verò de fructibus etiam naturalibus, sed non  
tantum*

*tantum perceptis, verum etiam post perceptionem consumtis,  
Et illos quidem in restitutionem venire; hos vero non item.*

Ant. Fab. ita brevius sententiam illorum explicat: Naturales fructus fieri B. F. possessoris non solâ perceptione, de quo Pomponius: sed tantum consumptione, de quo Paulus.

#### XIV.

*Quod cum Ant. Fabro absponum videatur: Omissio Paulo VIII.  
Pomponium aggreditur, & qua solâ à Paulo ei dissentire videba- Opinio.  
tur particulâ. NEC, ex punctâ ita eum loquentem inducit:  
Non fit ejus, sicut cujuslibet B. F. Possessoris. Et sa-  
nè si lectio ista probari posset, rem ejus beneficio jam factam  
haberemus.*

#### XV.

*Tandem Clariss. Vulteius novam conciliandi viam ingressus, IX. Opinio  
acriter contendit: Paulum de eo B. F. possessore loqui, qui ab  
initio fuit, & adhuc est B. F. Pomponium vero de eo, qui qui-  
dem ab initio B. F. fuit, sed postea mala F. factus est. Ius  
itaq; perceptos fructus consumendi vel suos faciendi habere  
B. F. possessorem ante litem contestatam, de quo Paulus; sed non  
post litem contestatam, quo tempore mala F. P. existens fructus  
suos amplius facere, Pomponio teste non potest, licet percipiendi  
jus interim non denegetur.*

#### XVI.

*Produxi omnes, quotquot mihi super hac re lecti interpretes,  
Nunc aliorum facio judicium, quisnam eorum, qui familiam in  
eam illustribus turmis ducunt, minus male pugnaverit, ut  
suffragij jus, quibus id esse non putent, pro more antiquent.  
Ego sanè, etsi mihi eam rem non admodû liquere in genue fatear,  
tamen si & necessitas dicenda sententia imponatur, palmam  
Accursianis tribuerim, quorum partes etiam nunc utcumq; de-  
fendendas suscipiemus.*

## XVII.

X. Opinio Libet tamèn simul experiri, an quo alio modo nodus iste solvi possit. Et quod Anton. Fabrum aliquo modo tentasse, sed tanquàm rationibus suis minus conveniens mox repudiasse animadverti, non invitus arriperem; Vt Paulum de omnibus iis fructibus naturalibus, quibus vel aliqua saltem cura debeat, locutum existimare. Pomponium verò de iis, qui nulla prorsum cura indigent, ut sunt, v. g. Sylva, arbores item alia, poma pyra, simileq; fructus ferentes, qua passim in calidis Italia, Galia Narbonensis, Aetania, &c. locis sine ullius labore proveniunt.

## XVIII.

Rationes possunt esse ha. 1. Quia Fructus ex re aliena B. F. possessori tribuuntur, in iisq; jus ei dominij conceditur, non civili ratione, sed naturali duntaxat, ut Iustinianus ait, pro cultura & cura. Ergo hac praecedente illi nec civili nec naturali ratione debentur 2. Quia Pomponius in fine legis de iis tantum loquitur, qui nullam curam admittunt. Paulus autem diversim planè de iis, qui naturales quidem sunt, sed fere similes reliquis, qui diligentia & opera proveniunt, ut ex toto illo capite apparet, 3. Quia ita rectissime Pomponij constabit ratio; Quod is fructus non ex facto B. F. possessoris nascatur. Nam in iis, qua in fine adfert exemplis, fructus nullam planè hominis curam desiderant.

## XIX.

Hac itaq; ratione rectè dicemus, & ex sententiâ Pomponij, Paulò quoq; non refragante, Fructus sponte natos vel ita editos, ut nullam planè curam alicujus desiderent, non fieri B. F. possessoris, ideoq; etiam consumptos restituendos. Quod in reliquis negandum, qui si usucapti vel consumpti sunt, restitutionem planè effugient.

Et

## XX.

Et erit simul verum, quod Paulus ait B. F. possessorem non tantum eos fructus naturales, qui diligentia & sumptibus ipsius maxime provenerunt, percipiendo suos facere, sed etiam naturales omnes, qui scilicet, curam adeo magnam non admittant, de quibus etiam postea in lege illa agit, unde & lac & lana. Extraordinarius pecudum fructus à Varrone appellatur, quod ex ovibus velut obiter nascatur capiaturq; etiam ut illis opera magna non detur.

## XXI.

Et sic verbum generale omnes, recte restringetur vel potius necessario intelligetur de iis tantum fructibus, qui alias B. F. possessori in specie non tantum propter culturam & diligentiam magnam, sed etiam curam qualemqualem tribuuntur, & quorum ibi etiam tantum à Paulo mentio fit; praesertim cum nusquam alias in iure scriptum cecit, B. F. possessorem suos quoq; facere fructus illos, in quibus nulla plane cura opus sit; Imò Pomponius contrarium expresse responderit. Ut ita hanc locum sibi vindicet regula illa: Quod genus subjectum non plus comprehendat, quam id cui adiunctum est, vel alias juris ratio ei permittat. Igitur sponte & sine ulla hominis cura editos, per Pomponium non tam à generali regula excipi, quam singulare de iis jus tradi. Quia his omnibus obijci possit non ignoro, sed de iis in publica collatione videbimus.

## XXII.

Hec autem de proposita legis interpretationibus brevibus adferre placuit, non tam aliorum quam mei ipsius erudiendi causa, in quibus sicubi errore lapsi sumus, veniam merebitur, cum propensum nostrum in legibus concilandis studium, tum etiam humana conditionis intuitus, cum nemo mortalium sit, quem non  
magna

*magna ignorantia pars attingat. Hanc contagionem inquit Scalig. ex ipsa natura contraximus, Nam homo cum errat, humanitus errat: Errorem autem in homine calumniari, est ipsi mortalitati convicium facere.*



## PARERGA.

### I.

**R**Egem sive principem summum bello captum, inter capitis reos recte recipi, Historiarum observationem negare. Eundem tamen, cum à suis, tum etiam ab alijs quandoq; absolutum, ex iisdem constare,

*Ioseph. lib. 25. c. 1. Dio. lib. 49. Pandulphus Collinutius in Histor. Neapolit. &c. 2. Curtius lib. 8. Bellajus in hist. Gal.*

### II.

Successorem in regno libero certum eligere, non semper utile esse.

*Tacit. 3. Annalium*

### III.

Innocentes homines propter præsumtùm quendam mali non quidem præsentis, sed aliquando fortasse futuri metum, interficere, Tyrannium & Diabolicum planè esse.

*Contra P. AERodium, lib. 7. pand. vel Rerum ab antiquit. judicatorum Cap. 13.*

Regum

## IV.

Regum Chaldæorum à Nabuchodonosoro  
seriem in sacris literis rectè & prophanis scripto-  
ribus consentienter recenferi. I. Nabuchodo-  
nosorum 4. Reg. pen. & ult. 2. Paral. ult. Dani-  
el. 1. 2. 3. & 4. II. Evilmerodachum filium. 4.  
Reg. ult. v. 27. III. Balsafarum nepotem, Daniel.  
5. & 8. IV. Darium Medum extraneum, *αεσά-  
γεσσι οϊσδεσ*, ut inquit Abydenus. Daniel. 5. in fi. &  
c. 6. 9. 11. Quos omnes demum excepit Cyrus,  
qui primus axioma Imperii à Chaldæis ad Persas  
transtulit. Dan. 6. in fin. & c. 10. in pr.

*Berosus lib. 3. Rerum Chaldaicarum. Abydenus in  
Asyriacis.*

## V.

Darium Danielis fuisse 1. Nativitate Baby-  
lonium, sed origine Medum. 2. Hominem pri-  
vatum; non Regem Medorum; non Astya-  
gem; non fictum Xenophontis Cyaxarem. 3. Non  
vi invasisse regnum Babylonicum, sed procerum  
suffragiis ad id evectum. 4. Extitisse Regē Chal-  
dæorum ultimum. 5. Denique cum Nabonedo  
Berosi Megasthenis & Abydeni eundem esse.

*Daniel. 5. in fin. c. 9. in pr. c. 11. in pr. Beros. &  
Abyd. 5. alleg. loc.*

## VI.

Mixtum imperium rectè mandari posse. Hu-  
jus autem imperii Bonorum quoque possessio-  
nem esse. Ad

VII.

Ad exhibendum actionem non in rem, quod magnus quidam IC. scribit, sed in personam esse.

VIII.

Obligaciones non ad jus personarum, quod vir doctiss. existimat, sed tractatum de rebus pertinere.

IX.

Actionis definitionem à Iustiniano positam, propriè ad actiones personales pertinere.

X.

Actionis in rem causam unam & unicam esse, Dominium; non duas, Dominium & possessionem.

XI.

Lautià non esse, quod vulgò putant, munera quæcunque, legatis dari solita: Sed com meatum saltem & præcipuè quamvis necessariam suppellectilem.

*Hoc princeps vidit amicus noster, Clariss. Rittershus. in notis ad Symmach. Glossar. vetus: ενδομεινία, hac suppellex; pluralia non habet. ενδομεινίας, Lautià, singulare non habet.*







IV.

Regum Chaldæorum à Nabu  
 seriem in sacris literis rectè & prop  
 ribus consentienter recenferi. I.  
 nosorum 4. Reg. pen. & ult. 2. Pa  
 el. 1. 2. 3. & 4. II. Evilmerodach  
 Reg. ult. v. 27. III. Balsasarum nepo  
 5. & 8. IV. Darium Medum extra  
*regni cisdæi, ut inquit Abydenus. Dani*  
 c. 6. 9. III. Quos omnes demum ex  
 qui primus axioma Imperii à Chald  
 transtulit. Dan. 6. in fin. & c. 10. in  
*Berosus lib. 3. Rerum Chaldaicarum.*  
*Asyriacis.*

V.

Darium Danielis fuisse 1. Nati  
 onium, sed origine Medum. 2. Ho  
 vatum; non Regem Medorum;  
 gem; non factum Xenophontis Cyax  
 vi invasisse regnum Babylonicum, se  
 suffragiis ad id evectum. 4. Exstitisse  
 dæorum ultimum. 5. Denique cum  
 Berosi Megasthenis & Abydeni eu  
*Daniel. 5. in fin. c. 9. in pr. c. 11. in pr.*  
*Abyd. 5. alleg. loc.*

VI.

Mixtum imperium rectè manda  
 jus autem imperii Bonorum quoque  
 nem esse.

